

est in locô, multô magis Angeli erunt in locô. Antecedens est
 verum. E. & consequens, Antecedens probatur, quia nul-
 libi non Scriptura de DEO loquitur per Adverbia locum si-
 gnificantia. Consequentia probatur, quia DEUS est infini-
 tus, Angeli autem sunt finiti, si ergo Infinito non repugnat
 esse in locô, multô minus repugnabit finito. Resp. negan-
 do Antecedens, quod DEUS sit in locô, quod attinet pro-
 bationem, Respondetur primò non sequitur, si de re aliquâ
 loquimur per adverbium Loci, quod illi statim tribuatur lo-
 cus; nam v. gr. cum dico, Chimæra est nullibi de Chimæ-
 râ loquor per adverbium Loci, non tamen sequitur, quod
 ei tribuatur locus. Deinceps cum DEUS dicitur esse in lo-
 cô v. gr. in cœlô vel terrâ, nihil aliud denotatur, quam præ-
 sentia divina, & accommodat se Scriptura ad captum no-
 strum, ut scilicet de DEO loquatur ita, ut nos facilius pos-
 simus assequi; cum igitur nos rem aliquam ut præsentem
 consideramus, consideramus eam esse in proximô locô ad-
 hunc captum nostrum Scriptura se accommodat, & de eô
 simili modô loquitur, ut tamen non locum, sed præsentiam
 DEI significet. (4) Quicumq; sunt finiti & circumscripti sunt
 in locô. Angeli sunt finiti & circumscripti, E. sunt in loco. R.
 Duplicem esse finitatem & circumscriptionem (1.) Essentiæ,
 (2.) quantitatis; illa est, quando res certum suarum perfectio-
 num Terminum & finem agnoscit. Hæc verò est, quando res
 agnoscit certum suæ quantitatis terminum. Jam cum dicitur
 Angelos esse finitos & circūscriptos, si intelligitur illud de fi-
 nitate essentiæ, negatur, quod exinde sequitur, eos esse vel esse
 posse in locô, quia ad hoc non sufficit aliquid esse finitū quo-
 ad essentiam, sed etiam requiritur, ut sit finitū quoad quanti-
 tatem. Si verò dicitur in Angelis esse finitatem & circum-
 scriptionem Quantitatis, hoc ipsum negatur; sicut enim
 materiam non habet, ita nec quantitatem, ubi autem non